



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 165. An causæ requirantur; & quid præterea exprimi vel observari
debeat in permutationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

drangularis erit simoniaca, v. g. si resignem tibi, ut tu Titio, & ut Titius mihi, *Az. Less. Gonz. Leur. q. 837.* Vide dicta n. 1053.

1100 Q. 165. *An causa requirantur; & quid præterea exprimi vel observari debeat in permutationibus. R.*

§. I. Permutatio apud Ordinarium requirit justam causam, nam *Cap. Quæsitum*, de rer. permut., & *Cap. Majoribus*, de præb. prohibetur; & est saltem irritanda per *Const. Pii V.*, si causa non sit à permutantibus allegata & ab Episcopo cognita, *Garc. Barb. Tond. Castrop. Leur. p. 3. q. 855.* Non est tamen opus adesse causas illas, aut observari omnes condiciones relatas n. 1027. & à *Pio V.* præscriptas pro resignationibus, nam permittit permutationes fieri juxta *Canonicas sanctiones, Az. Castrop. Leur. q. 414.*

1101 §. II. Causæ justæ sunt, vel necessitas vel saltem utilitas Ecclesiæ, seu major Dei cultus: sufficit etiam utilitas aut commoditas permutantium, si hæc redundet in utilitatem Ecclesiæ, v. g. si ideo melius aut promptius Deo servient, alioquin non sufficit, *S. Th. Silv. Bellam. Barb. Garc. Ventrig. Vgol. Corr.*, quorum aliqui dicunt esse simoniacam, si fiat purè ob utilitatem privatam permutantium; est tamen satis, si cedat in utilitatem unius Ecclesiæ, dummodo non cedat in damnum considerabile alterius, *Garc. Ventrig. Pirh. l. 3. t. 19. n. 25.* Vide *Leur. q. 859.*

1102 §. III. Si permutatio fiat apud Ordinarium, non est opus exprimere alia beneficia, quæ permutantes habent; si apud Papam, opus esse dicunt aliqui, alii negant, *Leur. q. 859.* Nec apud Ordinarium opus est exprimere qualitates beneficiorum, nisi quis sit desuper ordinatus: opus esse apud Papam, affirmant aliqui, alii negant, *Leur. q. 860.* Quamvis autem
mentio

mentio non fiat status Sacerdotalis ad beneficium
requisiti, putat *Luca* de benef. d. 42. n. II. non ideo
censeri subreptionem, quando Papa potuit de hoc
habere generalem scientiam vel cogitationem; U-
niversaliter tamen verum est, quod acquirens be-
neficium permutatum debeat habere omnes quali-
tates ad illud requisitas, quæ autem onera subiri
debent, dum beneficium simpliciter vacat, etiam
subiri debent, quando vacat causâ permutationis.
Vide *Leur.* q. 863.

§. IV. Consanguinitas permutantium non ob- 1103
stat in permutationibus, quæ fiunt apud Papam,
neque in his necessariò exprimitur, sed tantùm in il-
lis, quæ fiunt apud alium, *Luca* d. 40. n. 15. & fufius
d. 65. n. 5., possuntque videri dicta à n. 1011. Nec
necessariò exprimi debet inæqualitas ætatis, nam
sæpe agni moriuntur ante oves, inquit *Luca*. Si au-
tem omittatur mentio ejus, quod quis super eo titur-
lo sit ordinatus, *Trid.* Ses. 21. c. 2. de Ref. irritat per-
mutationem, uti S. Congreg. declaravit apud *Luca*
d. 41. n. 5., quamvis aliqui defendant valorem actus,
dummodo permutans antecederet provifus fit de
alio beneficio æque sufficienti ad congruam susten-
tationem, uti idem refert n. 6.

Q. 166. Quid fieri possit, si beneficia permu- 1104
tanda sint inæqualia, vel unus fecerit expensas pro
suo beneficio. R.

§. I. Si sint inæqualia quoad dignitatem, pote-
statem, jurisdictionem, est simonia, si inæqualitas
compensetur per pecuniam vel aliquid temporale,
quia res purè spiritualis æstimaretur pretio tempo-
rali; neque hanc simoniam purgare potest autho-
ritas ullius Superioris, cum sit juris naturalis. Si sint
inæqualia quoad fructus, *Caj. Nav. Gonz. Delph.*
Zerol. VVames. Ventrig. Chok. Less. Diana p. 9. r. 9.